ad nutriendum / que erat matura, mori-
busque optime disposita / filium vero dicte
mulieris dedit aliene nutrici ad alendum,
que econverso in moribus erat turpis / unde con-
tigit quod creatura ex lacte bene disposite fuit
fructus bonis moribus et alter totaliter deordinatus.
Secundo dubitatur / ex quo Christus est principalis
ad quem omnes hostie veteris testamenti re-
feruntur / sic figurat ad veritatem, quare tunc
Christus in templum offerri voluit. Dicitur secundum
sanctum thomam sicut patet ex dictis / Christus erat
primogenitus / et voluit fieri sub lege / ad
ostendendum nobis humilitatis exemplum / ipse
dominus per omnia memor nostre salutis / non solum
homo fieri / cum esset deus / sed et cum dives esset
pauper fieri dignatus est pro nobis / ut nos
sua paupertate sil(?) et humilitate divitiarum
et divinitatis nos faceret esse participes / ut ingre-
diendo(?) in omne hodierna. Secundum et Christus nobis circum-
cisus est corporaliter / ut spiritualiter circumcidamur
in mente a peccatis. Sic Christus nos sistit et offert
domino / ut discamus et nos ipsos sibi presentare.
Sic enim hodierna oblacio facta est post eius
circumcisione / in hoc ostendit neminem nisi circum-
cisum viciis dignum esse divinis aspectibus.
Tercio dubitatur, in quibus nos debemus nos hodie
offerre deo Christo, qui pro nobis hodie in templo ob-
latus est. Dicitur quod debemus nos sibi primo off-
erre per veram fidem, et designatur hodie ista in
representacionem accense candele, que significat Christum.
Tria enim sunt in candela, cera, lichinus et
flamma. Per que tria significatur quod sunt in Christo. lichinus
Ista cera quam apes generant, sine alterutrius
commixtione, significat carnem Christi, que nata est
sine omni corrupcione peccati et macula. Sed lich-
inus qui est in cera latens, significat mundissimam
animam Christi in carne latentem. Flamma sig-
nificat deitatem, quia deus ignis consumens
est de prioribus(?). Secundo ut conformemus
nos in simplicitate et castitate desponsati(?)
in quibus pro eo hodie oblatis / utique ex pu-
ritate. dicti(?) Tercio debemus hodie deo nostram volun-
tatem / per veram intencionem / et bona operacione
et graciarum actione / pro istis que hodie pro nobis
subire voluit. In quo cum instruimur in can-
dela ad habendum in nobis precipue ista tria
scilicet veram fidem / bona operacione et rectam in-

tencionem. Nam candela in manu accensa
est fides cum operacione bona / et candela sine
lumine dicitur esse mortua, et lumen per se sine
candela non lucet, sed mortuum esse videtur.
Sic operacio sine fide, et fides sine bona
operacione mortua est. Lichinus autem in cera
occultatus est intencio recta / dicente beato gre-
gorio in omelia quadam / sic opus sit in pub-
lico / ut tamen recta intencio maneat. Ho-
die ergo gracias agimus deo patri eiusque
unigenito et spiritui sancto, regine denique
celorum virgini que luce fuit se angelorum
et mundi dominam / dei et hominis matrem / pa-
radisi ianuam / gemma pudicicie / regina
mundi / norma iusticie / matre misericor-
die / castitatis lilium / ipsa tamen que nobis pec-
catoribus hodie se ex humilitate maxime
non despexit templo presentari tamquam matre
non virgine forte suspicatam / memor dun-
taxat nostre salutis / et pie recolens quod
sui memor humilemque nos sub potenti
manu dei / ut mereamur exaltari in tempore
oportuno / sic et virgo hodie stetit onerata
onere filii sui / qui totum tenet mundum
et humilem matrem esse cognoscit que se nesci-
at uxorem. Amen.

Expliciunt sermones magis-
tri Thome de Haselpach.
Finiti feria quinta proxima
ante dominicam terciam adventus
domini sub anno domini
Millesimo Quadringentesimo
Tricesimonono hora quasi
decima.

Orate pro scriptore

Deo gracias